EXPOSITIO
TABULAE HOSPITALIS
EX AERE ANTIQUISSIMAE
IN MUSEO BORGIANO VELITRIS
ADSERVATAE

AUCTORE

IOHANNE PHILIPPO SIEBENKEES

NORIMBERGENSI

ACADEMIAE VOLSCORUM VELITERNAE SOCIO

ROMAE

APUD ANTONIUM FULGONIUM

CIↃ IↃCC LXXXIX

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Quamvis nobilissimum museum, quod Velitris possidet Eminentissimus de religione & litterarum studiis maxime meritus S. R. E. Cardinalis STEPHANUS BORGIA, ex doctorum virorum, I. G. Adler (1), G. Zoëga (2), A. Heeren (3), N. Schow (4), operibus, qui variis in eo conservatis monumentis illustrandis operam dederunt, inter eruditos iam dudum maximam nominis celebritatem nactum sit; attamen, cum anno superiori ab optimo Purpurato in patrias Veliternas aedes humanissime invitatus, ibique a generosissimo fratre suo IOHANNE PAULO Equite Hierosolymitano summa exceptus hospitalitate, videre museum ipsum mihi contigit obstupui, demiratus famam, quae omnia augere solet, ni-

 mia

(1) *Museum Cuphicum Borgianum illustravit* I. G. Adler, Rom. 1782.

(2) *Numi Aegyptii imperatorii prostantes in museo* Borgiano *Velitris*, Romae 1787. a G. Zoëga v. cl., cuius eruditioni & amicitiae heu quam multum debeo.

(3) *Expositio fragmenti tabulae marmoreae operibus caelatis, & inscriptionibus Graecis ornatae*, Rom. 1786.

(4) *Charta papyracea graece scripta musei Borgiani Velitris*, Romae 1788. Monumentis Borgiani musei illustrandis operam dederunt quoque cl. mihique amicissimus Caietanus Marini in doctissimo libro: *Iscrizioni antiche delle ville, e de' palazzi Albani*, Rom. 1785. R. P. M. Phil. Ang. Becchetti, qui *Bassirilievi Volsci in terra cotta dipinti a varj colori trovati nella città di Velletri*, Romae 1785. ex eodem museo edidit; I. Lanzi v. d., qui Etruscas inscriptiones musei Borgiani in *Saggio di lingua Etrusca, e di altre antiche d' Italia*; & cl. Ennii Visconti, qui in tom. IV. *Musei Pio-Clementini* pateram Etruscam, Bacchi nativitatem repraesentantem post cl. Heeren iterum illustravit.

mia sobrietate locutam de eo fuisse. Tantam enim antiquitatis monumentorum copiam, non ostentationis & luxus caussa, sed litterarum studiorum commodo ibi cumulatam vidi & conservatam, ut an fortunam in reperiendis, an eruditionem ultra titulos venerandi Cardinalis in seligendis ex omni quasi antiqui orbis parte iis monumentis, quibus antiquitatis cognitiones augeantur, & amplificentur, magis mirarer, anceps haeserim. Referta nempe est domus non modo signis & operibus caelatis, numis, & marmoribus antiquae Graeciae & Italiae populorum; sed Orientis quoque, & Aegypti praecipue antiquissimae artis & religionis monumentis, ut multa habeat, quae in aliis museis frustra desiderantur; nuperque insigni & inter Europeos unica arca ex lapide *granito rosso* nobis dicto, figuris hieroglyphicis ornata rarissimis, quam Ill. Niebuhr (1) parum accurate in itinerario suo delineatam dedit, novum & non ultimum acquisivit ornamentum.

In tanta monumentorum copia, in qua versari mihi licuit, cum animum iis praecipue applicare coepissem, quae studiis meis privatis, essent accommodata, incidi in laminam ex aere vetustissimam; quae si vel litterarum antiquissimam formam, vel argumentum, vel denique varias de ea interpretum sententias spectes, nova mihi visa est illustratione dignissima.

Hoc enim insigne monumentum in Bruttiorum agro an. 1783. prope Petiliam repertum, & nunc musei Borgiani ornamentum varios scilicet habuit interpretes, qui in

(1) Vid. tom.I. tab.XXXII. & XXXIV. itinerarii ill. Niebuhr germanice scripti.

in epiſtolis ad optimum Purpuratum & in libris iuris publici factis vario modo eius explicationem tentaverunt. Sunt enim qui in eo emtionis & venditionis, vel donationis inſtrumentum, ut cum Ictis loquar, invenire ſibi viſi ſunt, & rurſum alii, quibus opinio: hoſpitalitatis vel publicae vel privatae decretum illud eſſe, ad verum propius accedere videtur.

Habet ſane utraque ſententia in ipſo monumento aliquid quo ſe tueatur. Cum enim in eo *του ξενου*, vel *της ξενας* aperta mentio nulla ſit, cl. Villoiſonius priorem praepoſuit ſententiam in *epiſtola ad Eminentiſſ. Borgiam*, nixus ut puto praecipue verbis *διδοτι ταν οικιαν και ταλλα παντα*, & Demiurgi, i. e. populi rectoris, & Proxenorum ſubſcriptione, qui vel talium rerum teſtes aderant, vel eo officio fungebantur, quod hodie illud hominum genus, negotiatoribus noſtris *Senſall* dictum, exercet (1). Reliqui autem omnes, qui de lamina noſtra verba fecerunt viri doctiſsimi, Abb. Barthelemy (2), Rev. P. Gabr. Fabricy (3), Abb. Lanzi (4), Nic. Schow (5) poſteriorem amplexi ſunt ſententiam, & licet varii in ipſo interpretandi modo, conveniunt tamen in hoc, ut eam hoſpitalitatis vel publicae, vel privatae decretum continere ceuſeant.

Qui publicum monumentum eam eſſe arbitrantur, aeque nituntur Demiurgi & Proxenorum ſubſcri-

(1) O' *τοις πιπρασκουσιν προξενων, προπρατωρ*. Pollux in *Onom.* VII. pag.692. ed. Kuſter.

(2) In *Epiſtola ad cl. Adler*, & in altera *ad Eminentiſs. Borgia*.

(3) In *Diatribe, qua bibliographiae antiquariae & sacrae critices capita aliquot illuſtrantur* pag. 238.

(4) In libro cit. §. IX. pag.108.

(5) In libro cit. pag.115.

ſcriptioni, quam privum quid & peculiare publicis fuiſſe monumentis, nec privatis convenire cenſent. Hoc argumentum ex ipſa monumentorum natura petitum non levis eſt ponderis, & in eam ſententiam facile eſſem iturus, niſi varia feciſſent, ut cl. Schow accederem, qui omnium ſolus privatae hoſpitalitatis monumentum in eadem lamina deprehendiſſe ſibi viſus eſt.

Omnia enim variorum populorum publica hoſpitalitatis decreta habent aliquid inter ſe comune, quod publicam formam primo ſtatim intuitu arguit, cuius ne veſtigium quidem in noſtro monumento apparet. Incipiunt nempe formula in publicis dogmatibus ſolemni: *εδοξε τη συγκλητω και τω δημω*, vel *εδοξε ται άλιαι και τη συγκλητω*, ut publica Agrigentinorum & Melitenſium pſephiſmata in Demetrii Syracuſani honorem lata (1), vel *εδοξε ται άλιαι*, ut decreta hoſpitalia Corcyrenſium, quae exc. Iac. Nani, Venetus Senator poſsidet (2), vel alia ſimili formula convenienti publicis monnmentis. Pergunt deinde cauſas enarrare, ob quas excipiendus hoſpes hoc beneficium ſibi acquiſiverit, & addunt in fine decretum de incidendo in aere hoſpitalitatis publicae dogmate. Sic ſe habent omnia Graeca hoſpitalitatis decreta. Noſtrum autem de his plane ſilet. At ne quis credat ſolitam decretorum formam brevitatis ſtudio ommiſſam fuiſſe, provoco ad illud, a Gytheatenſium civitate Marco Latino Panduſa hoſpiti publico poſitum, quod Paciaudius ex muſeo Naniano (3) ita publicavit:

MAP-

(1) *Inter inscriptiones Siculas* Exc. Principis Turriſmutii, Panormi editas n. 79. & 80.

(2) Vid. *Notizie sulle antichità, e delle arti di Roma* 1787. p. 58.

(3) *Monumenta Peloponnesiaca illustrata* a Paciaudio, tom. II. pag. 131.

ΜΑΡΚΟΝ . ΛΑΤΙΝΟΝ . ΠΑΝ
ΔΟΤΣΑΝ . Α ΠΟΛΙΣ . ΤΩΝ ΓΥ
ΘΕΑΤΑΝ . ΒΙΑΔΙΝΟΥ . ΠΟΛΕΙΤΑΝ
ΑΜΟΝ . ΞΕΝΟΝ . ΚΑΙ . ΕΥΕΡΓΕΤΑΝ

Hoc paucis licet lineis absolutum, omnia tamen continet, quae publicis decretis propria ex aliis monumentis scimus.

Solebant praeterea publici hospitii iura non in unius personae, sed in posterorum hospitis quoque favorem decerni; ut in marmore Melitensi de Demetrio Syracusano (1), *δεδοχθαι Δημητριον Διοδοτου Συρακοσιον προξενον ειναι και ευεργετην του δημου — και τους εγγονους αυτου*, & in decretis Corcyr. de Boesco Dodonaeo, & Lycisco Prienensi *ἐδοξε ται ἁλιαι προξενον ειμεν — ἀυτον και εκγονους*; at nostra lamina unum solummodo nominat, iis ornatum. At cum nonnulla alia monumenta quoque ita se habent (2), parvi hoc argumentum ipse facio.

Maioris autem momenti videtur omissio urbis *ξενοδοχου*; eam enim cum vv. doctissimis Lanzi, & Fabricy (3) in *Σαοτις* vocabulo quaerere, vix ac ne vix quidem a me impetrare possum. Hisce rationibus commotus, quia nempe nostra lamina nec formam publicam habere, nec urbem *ξενοδοχον* indicare videtur, eam potius privatae quam publicae hospitalitatis tabulam fuisse existimo.

A 4 Tabu-

(1) Inter *Inscriptiones Siculas* pag. 79. adde quoque *marm. Delium* inter *marm. Oxon.* Humfredi Prideaux n. III. & Latina Afrorum & Siculorum Romanis civibus data decreta, ap. Thomasinum *de tesseris hospitalibus* in *Thes. antiq. Graec. Gronovii* tom. IX. pag. 198.

(2) Decretum Agrigent. inter *Inscript. Sicul.* pag. 79.

(3) In loc. cit.

Tabula hoſpitalitatis una cum teſſera diſcedentibus hoſpitibus cum publicis, tum privatis dari ſolebat (1). Illa ex aere conficiebatur, & erat icti foederis decretum, quod in publicis hoſpitiis ſenatus populique auctoritate, in privatis autem ut ex noſtra tabula patet, teſtium, vel hoſpitii auctorum ſubſcriptione firmabatur: ut in aedium atrio vel porticu partim memoriae, partim oſtentationis cauſa affigeretur (2). Magnae enim gloriae veteres ſibi duxerunt, non urbibus modo, verum etiam privatis hoſpitii foedere coniungi (3). Teſſera autem ex ligno vel ebore confecta, hoſpitalitatis & amicitiae erat ſymbolum, qua producta, ſi quis in eam unde diſceſſerat urbem remearet, ab hoſpite ſuo agnoſceretur, & pari humanitate exciperetur (4).

Hae tabulae & ſymbola antiquiſſimo hoſpitio ignota tunc temporis tradi hoſpitibus coeperunt, cum ius hoſpitalitatis univerſale eſſe adeo ceſſavit, ut foederis formam inter illos contracti habere coeperit, qui affinitate, officiis amicitia, vel negotiis inter ſe eſſent coniuncti. Hoſpitalitati enim, & hoſpitis nomini, non ſemper idem erat ſignificatus, ſed varias habuit mutationes & epochas. Hinc hiſtoria hoſpitalitatis aeque conſcribi poſſet, ac hiſtoria urbium & rerumpublicarum. Sicut enim urbes & provinciae oriuntur, creſcunt, decreſcunt, intereunt; ita quoque hoſpitalitatis ritus habuerunt ſua incunabula, ſuam florentem, ſuam decrepitam aetatem. Sed

(1) Vid. Paciaud. in loc. cit. pag. 141.

(2) Schol. in Euripidis Medeam v. 613.

(3) Sic Antocides Athenienſis *in orat. I. de mysteriis*, ſe *προς πολλους και βασιλεας και πολεις, και αλλους ἰδια ξενον ειναι* gloriatur p. 19. inter Orat. Græc. H. Stephani.

(4) Vid. Thomaſinum *de tesseris hospit.* Paciaud. l. c. pag. 141., & locum claſſicum ap. Plauti Paenul. v. 2. 58. & ſeqq.

Sed cum huic materiae philosophiae & antiquitatis studioso dignissimae pro virili inhaerere, mihi peregrino, & multis aliis occupationibus distracto, non datum est, paucis solummodo de variis mutationibus quas hospitalitas experta est inter veteres differere liceat, ante quam tabulam ipsam interpretandam suscipiam.

Apud priscos hospitalitas non in foederis a singulis familiis vel civitatibus inter se contracti formam redacta erat & limitata, sed omnis advena hospitis nomine fruebatur, & vel humanitatis & misericordiae, vel religionis causa excipiebatur. Eo enim tempore, quo terrarum maxima pars inculta, & a paucis habitata iacebat, & summae felicitatis signum erat patriam habitare, & peregrinator contra omnium miserrimus iudicabatur; is qui necessitatis causa patriam relinquere & iter suscipere cogebatur, auxilio & misericordia omnium dignissimus habebatur.

Haec opinio religione antiqua etiam firmabatur. Cum enim omnibus antiquis populis persuasum esset, deos ipsos inter homines versatos, & ut omnium artium & beneficiorum, ita quoque hospitalitatis auctores fuisse & institutores, & φιλοξενους praemiis affecisse quam maximis, in hospitalitatis contra contemtores vehementer animadvertisse, factum fuit, ut nil superstitiosius hospitalitate coleretur:

> Ου μοι θεμις ἐς' ὐδ' εἰ κακιων σεθεν ἐλθοι
> Ξεινον ἀτιμησαι · προς γαρ διος εἰσιν ἁπαντες
> Ξεινοι τε πτωχοι τε (1).

Haec religio ut semper firmior redderetur, inventae sunt non modo fabulae de suppliciis a Iove de Lycaone, a Lato-

(1) Odyss. ξ 59. & seqq.

a Latona de colonis Lydiis & a Cerere de Afcalabo fumptis laefae hofpitalitatis caufa, fed ipfe rerum fummus moderator Ζευς facri huius iuris praefes & vindex creditus eft, in quem propterea hofpitum contemtor impius teneretur. Hinc αξενος & αδικος & ασεβης fynomima effe coeperunt. & Φιλοξενος contra eft Homero, cui

. . . . νοος εςιν θεουδης (1).

Homines femper erant ftudiofi pietatem & religionem fuam externis quoque fignis oftendere. Hac etiam de caufa inventa funt omnia benevolentiae figna, quibus adveniens, remanens, & difcedens hofpes honoraretur, & is aufterus credebatur, qui hofpitem vilipendere videbatur. Sic Pheacenfium Proceres Alcinoum regem vituperant, qui Ulyffem foco adftantem non ad epulum invitavit:

> Αλκινο ε μεντοι τοδε καλλιον, εδε εοικε
> Ξεινον μεν χαμαι ησθαι επ' εσχαρη εν κονιησιν.
> Αλλ αγε δη ξεινον μεν επι θρονου αργυροηλου
> Εισον αναςασας (2).

Ea reverentia tunc temporis hofpites colebantur, ut ne nomen quidem profiteri cogerentur, antequam cibo potuque reficerentur. Sic egit Neftor cum Telemacho hofpite, fic cum Ulyffe Alcinous; & fimilis caeremonia hodienum illis quoque populis eft, qui a nobis cultioribus, & melius fcilicet moratis barbarorum nomine infames redduntur, variis praecipue Americae incolis (3).

His

(1) Odyfs. θ. 675.
(2) Odyfs. η. 183. & feqq.
(3) *Lafitau in Meurs des Sauvages Americains* tom. II. pag. 88. ait: *Le Pere Calmet a fort bien observé, que dans les tems heroiques les hotes ne disoient ordinairement, ni qu' ils etoient, ni d' ou ils venoient, qu' après les repas. C' est aussi le premier compliment que font*

His itaque temporibus cum quilibet advena, hospitis (ξένου), nomine designaretur, & exciperetur, signa & symbola hospitalitatis non erant necessaria. Crescente autem hominum numero, & multiplicatis peregrinationibus, ob nimiam advenarum copiam hospitii beneficium comunis iuris esse desiit, & inter eos solummodo restrictum est & limitatum, qui foedere aliquo vel amicitia inter se essent coniuncti. Hoc non uno eodemque tempore inter omnes populos, sed primum apud locupletiores & cultiores evenisse, & deinde ad alios quoque migrasse, testis est ipse Homerus, qui Nestorem & Alcinoum antiquo more hospites excepisse scribit, dum interea inter Glaucum & Diomedem, inter Menelaum & Paridem, iam foederis formam hospitalitas habuisse videtur. Hoc variis novis caeremoniis & institutis ansam dedit & occasionem. Hospes a peregrino distingui coepit; inventa sunt decreta, quibus hospitii ius decerneretur, & symbola vel tesserae, quibus amicus & hospes agnosceretur.

Hoc institutum, quod primo inter privatos erat, etiam respublicae & urbes imitatae sunt. Apud eas antiquitus oratoribus solis, & principum legatis hospitium publicum datum est; postea autem honoris & beneficii caussa omnes publici benefactores eo ornati sunt. Exinde decreta hospitalitatis publicae, diversoria in quibus publicos hospites exciperentur, & Proxeni vel hospitii

sont tous les Ameriquains, chez qui l'ospitalité n'est pas moins sacrée que dans l'antiquité. Et paullo post: *Apeine celui qui arrive ou qui rend visite est il entré, qu'on met a manger devant lui sans rien dire*. Vid. quoque I. Stadii *Historiam Americae* in vol. III. Histor. Americanae, Francof. 1590.

tii publici curatores originem duxerunt. Eo tempore hospitalitatis religio non antiquo solum more observata est, sed novis quoque caeremoniis aucta fuit & confirmata. Iovi qui apud antiquos solus hospitii praeses fuisse videtur, alii dii xenii, non solum maiorum gentium, sed etiam civitatum & familiarum lares & penates adscripti fuerunt, qui templis & hymnis colerentur solemnibus; & mutua hospitum obligatio tanti aestimata est, ut belli quoque tempore contra hospitem in praelio pugnare piaculum putaretur, ante publice renunciatum hospitium.

Alio tandem sensu hospitis nomen acceptum fuit, ut vel patronum vel clientem denotet Athenis tempore Periclis, & Romae praecipue, dum res reipublicae florebant. Solebant enim Romani proceres, ut Pericles ab Atheniensium civitatibus sociis, non a privatis solum, sed etiam a civitatibus eorum imperio vel subiectis, vel societate coniunctis, inter hospites adscribi publicos, ut essent in senatu & foro patroni & defensores caussarum, & civitatum advocati seu syndici. Primo quidem hospites & clientes ut nomine ita etiam officio distinguebantur, ut ex Gellio (1) patet; mox autem apud Romanos hospes & cliens, hospitium & clientela promiscue usurpari coeperunt. Hoc demonstrant ipsa hospitalitatis publicae pacta inter Romanos & civitates facta, inter quae celebre est quod apud Thomasinum legitur (2):

SENATVS POPVLVSQVE SIAGITANVS
HOSPITIVM FECERVNT CVM C. SILIO
C. F. AVIOLA TRIB. MIL. LEG. III. AVG

PRAE-

(1) *Noct. Attic.* lib. 1. 3.
(2) *De tesseris hospital.* cap. 11.

PRAEFECTO FABR. EVMQVE
POSTEROSQVE EIVS SIBI
POSTERISQVE SVIS PATRONVM
COOPTAVERVNT.
C. SILIVS C. F. FAB. AVIOLA
EOS POSTEROSQVE EORVM
IN FIDEM CLIENTELAMQVE SVAM
RECEPIT.

Sic omnia hoſpitalitatis foedera inter reges & urbes, & cives Romanos conſiderari debent. Mutata antiqua hoſpitis ſignificatione, iura etiam & ſanctitas hoſpitalitatis negligi & non pari religione coli coeperunt. Hoſpites fraudibus & rapinis a Patronis circumdabantur, quin etiam nonnulli eorumdem numero adſcribebantur, quo facilius in periculum ducerentur.

Haec pauca praemonuiſſe ſufficiat, praeſertim cum non de hoſpitalitate, eiuſque inter antiquos fatis, ſed de uno tantum monumento ad eam pertinente ſermo ſit inſtituendus. Progredior igitur ad laminam ipſam, in cuius explicatione ita verſabor, ut primum monumenti ſenſum paucis exponam, quaſdam deinde obſervationes adiuncturus, quae ad litterarum formas in eo adhibitas ſpectent:

ΘΕΟΣ. ΤΥΧΑ. ΣΑΟΤΙΣ. ΔΙΔ
ΟΤΙ. ΣΙΚΑΙΝΙΑΙ. ΤΑΝ FOI
ΚΙΑΝ. ΚΑΙ ΤΑΛΛΑ. ΠΑΝΤ
Α. ΔΑΜΙΟΡΓΟΣ. ΠΑΡΑΓΟΡ
ΑΣ. ΠΡΟΞΕΝΟΙ. ΜΙΝΚΟΝ
ΑΡΜΟΞΙΔΑΜΟΣ. ΑΓΑΘΑΡ
ΧΟΣ. ΟΝΑΤΑΣ. ΕΠΙΚΟΡ
ΟΣ

Dea

Dea Fortuna. Saotes dat
Sicaeniae domum
Et reliqua omnia.
Demiurgus Paragoras
Conciliatores, Mincon,
Armoxidamus, Agatharchus,
Onatas, Epicurus.

ΘΕΟΣ ΤΥΧΑ

Omnibus pene dixerim antiquorum decretis, iis praecipue, quae de amicitia, de foedere & de hospitalitate contrahenda agunt, solemne est, ut facta sint ΕΠΙ ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ, vel ΕΠΙ ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΚΗΙ ΚΑΙ ΣΩΤΕΙΡΗΙ, quod Romanorum formulae: *quod felix faustumque sit*, vel, *sub faustis auspiciis* apprime respondere a viris doctis (1) iam est observatum. Nullum autem, nec publicum nec privatum monumentum, quantum mihi saltem constat, cognitum est, cui ipsa ΘΕΟΣ ΤΥΧΑ, vel *Fortunae numen ipsum* fuerit praepositum. Etsi negare non sustineo, inter utrumque dicendi modum maximam interesse similitudinem, quin etiam utrumque ex uno eodemque fonte, ex persuasione nempe veterum, Fortunae res mortalium praecipue curae esse, indeque derivato eius numinis cultu emanasse; tamen insolita, & quasi dixerim unica decreti nostri epigraphe facit ut credam, in eo monumento non ex usu comuni *της* ΘΕΟΥ ΤΥΧΑΣ explicationem esse hauriendam, quam potius ad sensum & monumento hospitalitatis privatae, & familiae privatae propriorem respiciendum. Sic me suadent verba Hannonis Afri apud Plautum.

Deum

(1) Humfr. *Prideaux in marm. Oxon.* I. 21.

Deum hospitalem & tesseram mecum fero (1), quae nil significari possunt nisi, Hannonis tesserae dei xenii vel nomen, vel imaginem insculptam fuisse. Quo ex loco patet, inter veteres non insolitum fuisse hospitalitatis deorum nomina & imagines tesseris insculpere hospitalibus eo modo, quo in illis quae congiarii vel spectaculi caussa porrigebantur, Imperatorum benefactorum vel deorum, in quorum honorem spectacula celebrabantur imagines expressae fuerunt, ut maioris scilicet essent auctoritatis & fidei. An dei xenii symbolum tantummodo, vel nomina quoque hospitum in illa Hannonis tessera expressa fuerint necne, locus Plauti clare non docet. Sed ex aliis monumentis, ex Lilybaetana praecipue tessera eburnea (2), quae ex una parte duas dextras iunctas, ex altera vero Imylchionis Chlori, & Lysonis Diogneti filii hospitum nomina exhibet (3), coniiciendum est: praeter nomina hospitum, alia quoque symbola ad religionem hospitalitatis vel amicitiae pertinentia, tesseris & monumentis hospitalibus adiuncta fuisse; inter quae xeniorum deorum nomina vel imagines locum habuisse, docet locus Plauti. Cum vero hospitalitatis protectores quoque penatibus adnumerarentur, ut ex lapide apud Murator. (4): I. O. M. DIS DEABVS HOSPITALIBVS

---

(1) Plauti *Poenul.* act.v. sc.1.

(2) Inter *Inscript. Sic.* Pr. Turrismuti pag.75.

(3) Ita enim com Paciaudio huius tesserae inscriptionem intelligo:

ΙΜΥΛΧΙ ΜΙΑΧΩΝΟΣ
ΙΝΙΒΑΛΟΣ ΧΛΩΡΟΣ ΞΕΝΙΑΝ
ΕΠΟΗϹΑΤΟ ΠΡΟϹ ΛΥΣΩΝ
ΔΙΟΓΝΗΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΕΓΓΟΝΩΝ

vid. Paciaudi *Diatribem, qua graeci anaglyphi interpretatio traditur*, Rom. 1751., & eiusdem *Monum. Peloponnes.* tom.II.

(4) *Nov. thesaur. inscriptionum* tom.I. pag.XI. Vid. quoque I. Simon *de l'hospitalité* in *Mem. de l'Academie des Inscriptions* tom.III. p.48.

TALIBVS PENATIBVSQVE posito patet, facile argui potest: in privatis hospitiis illum praecipue selectum fuisse deum qui tesseram confirmaret, quem familia ξενοδοχος inter penates habebat. Quis enim hospitali decreto magis praeesse poterat ipso hospitii protectore? & quis foederis inter privatos icti potior testis & vindex esset ipso genio familiae tutelari?

Ita plane deam Fortunam huic monumento inscriptam coniicio, tanquam *hospitalitatis numen*, & *genius familiae ξενοδοχου tutelaris*, qui testis esset, & protector foederis, & caveret, ne sacra hospitalitatis iura fraude aliqua laederentur, & ne familiae in suam custodiam traditae damni quid oriretur. Inter utrumque autem Fortunae numen non ultimum habuisse locum; paucis ostendere conabor.

Erat inter antiquos theologos comunis sententia, Fortunam divinae providentiae esse ministram (1), cui res mortalium, & praecipue quae παρ' ἐλπιδα, ut Sallustius ait philosophus (2) eveniunt subiectae essent. Inde Orpheus de TYXH non solum ait εν σοι βιοτος θνητων παμποικιλος εςιν, sed eam quoque Αρτεμιδος ἡγεμονης nomine diis adnumerat supremis, & rectoribus mundi (3). Hinc est quod ipsa non a privatis solummodo

(1) Macrob. *Saturn.* l.v. pag.226. ed. Aid.

(2) Sallustius *de diis & mundo*, inter mythogr. gr. ed. Oxon. p.21.

(3) Orphei τυχης θυμιαμα v.3. & 6. Αρτεμις vocatur Fortuna Orpheo honoris causa, ut nomen Ζευς non Iovi solum sed Πανι & Ηλιῳ quoquae tribuit, quo in modo ut semper solet eum secutus est Procius in Hymno in Ianum, primum ex Escuriaiens. cod. a d. Iriarte in *catalogo codd. Escurialens.*, & dein in *Bibliotheca antiq. litteraturae Gottingens.* to.I. a ci. Tychsen edito. Convenit τῃ τυχῃ etiam Αρτεμιδος nomen, ut deae, cui improvisa hominum fata curae essent, quas partes Dianam etiam tenuisse alio loco exponam.

modo familiis, ſed ab ipſis etiam urbibus & rebus publicis penatibus adſcribebatur, & templis aliiſque honoribus colebatur. Hoc innuit idem Salluſtius, qui de Fortuna ita (1): *η τοινυν τα διαφορα και παρ' ελπιδα γινομενα προς αγαθον παττουσα δυναμις των θεων τυχη νομιζεται. και δια τουτο μαλιστα κοινη τας πολεις την θεαν τιμαν προσημει. πασα γαρ πολις εκ διαφορων πραγματων συνισταται. εν τοις ὑπο σεληνην δε την δυναμιν εχει.* Non deſunt etiam lapides GENIO LOCI FORTVNAE poſiti (2). Quam late autem huius numinis religio propagata fuerit, & quam partem inter penates habuerit, indicant templa, in quibus penates publici conſervabantur a *τυχη* in variis urbibus ΤΥΧΕΙΑ nominata (3), & ipſum deae nomen, quo inter Graecos & Latinos urbium & familiarum genius tutelaris *κατ' ἐξοχην* denotari coepit. Ad rem Euſtathius etiam (4), qui *τον αγαθον δαιμονα*, cuius poculum quod meracius erat (*κρασις αγαθου δαιμονος*) haurire poſt coenam Graecis conſuetum erat, Fortunam fuiſſe credit. Sed prae ceteris hanc *τυχης* ſignificationem egregie vindicavit v. cl. I. Eckhel. (5), qui in illuſtratione numi Nicaeorum cum ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΝΙΚΑΙΩΝ epigraphe, urbium *τυχην* nil niſi genium tutelarem urbium indicare, ex Chronico Alexandrino probavit (6). Ibi enim narratur: Perſeum in Lycaonia urbem aedificaſſe & rite peracto ſacrificio *την* ΤΥΧΗΝ *της πολεως*, i. e. genium tutelarem, Περσιδα nominaſſe.

B Huic

(1) Salluſtius l. c.

(2) Ap. Seb. Donatum in *Supplem. ad Murat. theſaur.* tom. II. 44.

(3) Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii Gazae Palaeſtinae epiſcopi in *Actis Sanctorum* tom. V. 605.

(4) Euſtath. ad Il. γ. vid. quoque Coel. Rhodigini var. lect. p. 1005.

(5) *Numi vet. anecdoti ex museis Caesareo &c. collegit & animadv. illustravit* I. Eckhel. p. 183. tab. XI. n. 11.

(6) Pag. 83. ed. Venet.

Huic ſimilis eſt alter eiuſdem Chronici locus, ubi Taurus rex, Gortynam in Creta condidiſſe, & την της πολεως τυχην Καλλινικην εις ονομα της παρ' αυτου σφαγιθεισης κορης nominaſſe dicitur. Haec vocis τυχης ſignificatio etiam in marmoribus, quae urbium fortunae mentionem faciunt, quaerenda eſt. Sic ut alia taceam in lapide ap. Capaccium (1):

M ΜΑΡΙΟΣ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΤΗ ΤΥΧΗ
ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Fortuna Neapolis nil niſi genium urbis deſignare videtur.

Ut urbes & res publicae, ita quoque legiones, cohortes, ſocietates, & privatae familiae habebant ſuam τυχην vel genium tutelarem. Hic enim in lapidibus nomine Fortunae legionum, & familiarum intelligendus procul dubio videtur (2). Praecipue autem Fortuna inter Auguſtorum cubiculares erat genios, cuius aureum ſignum Imperatores iamiam morituri ad ſucceſſorem deferre curabant (3). Ad hanc Imperatorum Fortunam perti-

(1) Capaccii *histor. Neapol.* l.14.

(2) Apud Murator. tom.I. pag.LXXX.: FORTVNAE COHORT I BATAV, ap. Gruter. *thesaur. Inscript.* l.XXV.: FORTVNAE FLAVIAE, ap. Spon. *de aris ignotorum deorum* n. 29.: FORTVNAE TORQVATIANAE, quam cl. Caietan. Marini, in doctiſſimo libro: *Iscrizioni antiche delle ville, e de' palazzi Albani* p.7. repetiit.

(3) Iul. Capitol. inter ſcript. H. A. p.21. ed. Caſſaub. in Antonino Pio: *Tertia die quum se gravari videret M. Antonino rempublicam & filiam praesentibus praefectis commendavit, Fortunamque auream, quae in cubiculis principum poni solebat transferri ad eum iussit.* Idem Capitolin. de Marco Aurelio pag.25., & de Septimio Severo Spartianus pag. 73.

pertinere videntur lapides ΘΕΟΙΣ (καὶ) ΤΥΧΗ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ, vel FORTVNAE AVGVSTAE positi, in quibus Fortunam etiam genium Imperatoris tutelarem significare credo, qui lapidibus inscribi solebat, ut ex plurimis patet monumentis, quale istud ex marmore musei Borgiani:

GENIO . IMP. CAESARIS
NERVAE . TRAIANI . OPTIMI
AVG. GERMANICI . DACICI
CORINTHVS . CAESARIS
N̄. METTIANVS
.. DISECVS . RATIONIS
. VPTVARIAE . COLLEGIO
D. D.

An hospitalitatis diis adnumerata fuerit dea Fortuna, non ita clare patet, ut de Iove, Apolline, Pallade, Venere, aliisque huius foederis protectoribus. At locum habebat inter penates, quibus omnia curae erant quae ad familiam cui praeerant spectabant, quosque inter hospitalitatis deos fuisse, ex lapide ap. Murator. supra citato ostendi. Exinde facile colligi potest, ipsi quoque locum inter hospitalitatis protectores convenire. Plura de Fortuna & varias poëtarum & philosophorum de ea sententias recensere, ad nos non pertinet. Progrediamur igitur ad reliqua.

ΣΑΟΤΙΣ

Hoc vocabulum more antiquissimae orthographiae loco ΣΑΩΤΗΣ scriptum est. Utebantur enim veteres ante inventas a Simonide vocales longas τοῖς Ι & Ο, pro Η & Ω. De hoc scribendi modo loquitur Socrates

 apud

apud Platonem ita (1): *οιϑα οτι παλαιοι οι υμετεροι τω Ιωτα ευ μαλα εχρωντο — νυν δε αντι του Ιωτα η Ε, η Ητα μεταστρεφουσιν. όι μεν γαρ αρχαιοτατοι ιμεραν την ημεραν εκαλουν.*

Non bene conveniunt interpretes in finienda vocis Σαοτις vel Σαωτης significatione. Barthelemy v. cl. eam ad Fortunam referendam, & pro Σωτειρα dictam credens, vertit, ΘΕΟΣ ΤΥΧΑ ΣΑΟΤΙΣ, *Dea Fortuna Servatrix*. Ingeniosissima & tanto auctore dignissima coniectura. Quis enim nescit, Fortunae hoc nomen convenire illudque ei in aliis decretis datam fuisse (2)? Cui porro est ignotum, in deorum templis hospitia publica contracta fuisse, cum Apollinem Tyaneum in templo Iovis Xenii a Lacedaemonibus publico hospitio exceptum fuisse ex Philostrate sciamus (3)? Arbitror enim v. cl. censuisse nostram laminam continere decretum hospitii publici in Fortunae Servatricis templo contracti. Posset etiam conjici, eam esse monumentum hospitii, in templo Fortunae Servatricis a sacerdotibus nomine deae dati. Postremae huic opinioni optime conveniret dictio *ϑεος τυχα Σαοτις διδοτι*, *dea Fortuna Servatrix* data; quia sacerdotes interpretes erant voluntatis numinis, quod dedisse dici poterat, quae ab illis dabantur.

Sed nonnulla sunt, quae his interpretationibus, quae facile exornari possent, contraria videntur. Primum insolita videtur mutatio τε Σωτειρα in Σαοτις. Potuisset quidem

(1) Platonis Cratyl. pag.473. ed. Serrani. Vid. & Galeni Commentar. III. in VI. Epidem ad text.40. pag.70. tom.IX. ed. Charter.

(2) Sic in dogmate Agrigent. supracit. *δεδοχϑαι επι αγαϑαι τυχαι και σωτηριαι*.

(3) In vita Apollonii inter Philostrati opera tom.II. p.171. ed. Olearii.

dem Σχωτειρα & Σαυτειρα dici pro Σωτειρα (1). An vero Σαοτις aeque dici potuerit, hoc est quod ignoro. Sed concedamus ex dialecti doricae legibus id deduci potuisse, & nostrum monumentum aut publici hospitii in templo Fortunae contracti, aut privati ab ipsius sacerdotibus dati continere decretum; & alia oritur quaestio. Si publicum enim est monumentum, ubinam urbis benefactricis nomen, quod in publico decreto neutiquam ommitti potuerat? si privatum a sacerdotibus factum, quid sibi volunt nomina Demiurgi & Proxenorum illi subscripta? nonne potius sacerdotum & templi praesidum nomina in eo legerentur.

Haec cum sentiret doct. Lanzi (2), alium interpretationis modum tentavit, & in Σαοτις urbem antiquissimi Lucaniae populi Sontinorum, cuius memoria iam Plinii tempore incerta erat (3) se invenisse putavit, eamque urbem ξενοδοχον fuisse autumat. Concedo viro de Italiae antiquae populis optime merito, illud urbis nomen ex nostro vocabulo extricari posse, nec deesse in antiquis Italorum dialectis exempla, quibus sua coniectura probetur. An gracce autem dictum sit: Σαοτις διδοτι pro ἡ πολις των Σαοτινων vel Σοντινων, me nescire ingenue fateor, cum in nullo urbium decreto similis dicendi modus inveniatur, quem profecto ex recentium linguarum usu V. D. adoptasse, & in antiquum Graecorum sermonem intulisse videtur. Dein haud a me impetrare possum, ut in Σαοτις vocabulo urbis nomen videam, quam omnes antiqui geographi, & historiarum scriptores ignorant.

B 3 Omnes

(1) Vid. Hesych. in Σωτηρια.
(2) In *Saggio della letteratura Etrusca* pag. 108.
(3) Plin. *H. N.* lib. III. c. 7.

Omnes quas recensui eruditorum coniecturae ex opinione, quod nempe hoc monumentum ad publicam hospitalitatem pertineat, natae sunt, quae absque difficultate, & mutationibus minime defendi potest. Plana autem sunt omnia, & intellectu facilia, si in eorum sententiam eamus, qui nostram laminam privatum monumentum continere, & Σαοτις vel Σαωτης vocabulum ξενοδοχου nomen esse, volunt. Haec interpretatio nulla indiget mutatione, nec est, quod ei iure obiici possit. Quod tale nomen nec in scriptoribus, nec in lapidibus habeamus, nil contra nostram sententiam facit, cum pauca sunt nomina quae ad nos venerunt ex priscis magnae Graeciae civitatibus, e quibus minime statui potest, quaenam olim inter omnes eius populos in usu fuerint.

ΔΙΔΟΤΙ ΣΙΚΑΙΝΙΑΙ ΤΑΝ FΟΙΚΙΑΝ ΚΑΙ ΤΑΛΛΑ ΠΑΝΤΑ

Σικαινιας est nomen hospitis excipiendi, in cuius favorem nostrum monumentum datum est.

Διδοτι (pro διδωτι dor. pro διδωσι) ταν Fοικιαν και ταλλα παντα. De usu digammatis Aeolici in voce οικια postea; hic solummodo in verborum sensum inquirendum est. Hanc formulam quam nostra tabula exhibet in hospitalitatis decretis solemnem fuisse, patet ex variis publicis dogmatibus, in quibus eadem vel similis dictio occurrit. Sic in psephismate Sen. Pop. Delii, quo Clinodemo Siphnio Lebotis filio publici hospitii honores decernuntur, legitur: υπαρχειν δε αυτοις Clinodemo sc., & posteris suis, και ταλλα παντα οσα διδοται και τοις αλλοις προξενοις (1), ex quo loco clarum est, nostri monumenti formulam quoque ita intelligi debere: διδοτι ταν οικιαν και

(1) *Marm. Oxoniens.* n. III.

και ταλλα παντα όσα δεδοται τοις αλλοις ξενοις ; Quae autem τα αλλα παντα ſint, docet decretum hoſpitale Corcyrenſe muſei Naniani ita : δεδοται ἀυτοις και τα αλλα τιμια ὁσα και τοις αλλοις προξενοις (1). Duo itaque Saotes hoſpiti ſuo promittit, οικιαν *habitationem*, και ταλλα παντα, vel και τα αλλα τιμια, i. e. *honores*, *&* *benevolentiae ſigna, quae hoſpiti dari ſolebant*. Utrumque in publico. & in privato hoſpitio exhibebatur.

In publicis hoſpitiis οικια erat habitatio in diverſorio publico (ξενοδοχιω) in quo hoſpites publici excipiebantur, & alebantur ; τιμια autem omnes erant honores, quibus ſecundum urbis hoſpitis uſum & conditionem hoſpites ornari ſolebant. Eo pertinebat, ut is qui publico hoſpitio fruebatur, a Proxeno (2) civitatis nomine exciperetur, in ſpectaculis ſederet inter proceres (3), ſacrificiis intereſſet, & epulis publicis (4), dona acciperet publica, ingreſſum haberet in Senatum & ad conſilia publica (5), ut latifundia & domicilium acquirere

(1) *Notizie sulle antichità, e delle arti di Roma*, 1787. p. 58.

(2) Pollux in προξενος.

(3) Sic in pſephiſmate Piraeenſ. ap. Chandler in *Inscriptionibus antiquis &c.* Oxon. 1774. tom. II. 72. de Callidamante : ειναι δε ἀυτω και προεδριαν εν τω θεατρω οταν ποιωσι Πειραιεις τα Διονυσια ᾗ και ἀυτοις Πειραιευσι κατανεμεται, και εισαγετω αυτον ο Δημαρχος εις το θεατρον καθαπερ τους ιερεις, και τους αλλους, οις δεδοται η προεδρια παρα Πειραιεων,

(4) In eodem Piraenſ. decreto : οταν θυωσι Πειραιεις εν τοις κοινοις ιεροις νεμειν και Καλλιδαμαντι μεριδα καθαπερ τοις αλλοις Πειραιευσιν, και συνεσθιασθαι Καλλιδαμαντα μετα Πειραιεων εν απασι τοις ιεροις πλην ει που αυτοις Πειραιευσιν νομιμον εστιν συνιεναι, αλλω δε μη.

(5) In *marm. Delio* de Clinademo hoſpiti publico : ειναι δε αυτοις εν Δηλω γης και οικιας εγκτησιν και προσοδον προς την βουλην και τον δημον. Et in decreto *hoſpit. Corcyr. Nan.* de *Boesco Dodoneo* : ειμεν δε αυτοις τας οικιας ἐγτασιν κατα αλλα τιμια κ. τ. λ.

rere possct, & civitatis iure quoque ornaretur (1). Hoc modo in principio legati & oratores publici excipiebantur, ut iam supra monuimus: postea autem quisque urbis alicuius benefactor publico hospitio dignus videbatur (2). Inde venit, ut in decretis publicis *προξενος*, vel publicus hospes & *ευεργετης* semper coniuncti legantur (3).

Hospites publicos maximo honore affectos fuisse extra controversiam positum est; an iure autem civitatis frui potuerint inter Graecos, a viris eruditis dubitatum est. Gravis enim res erat in principibus urbibus hunc honorem nancisci. Lacedaemonibus plane vetitum erat peregrinos civibus adscribere; & unus poëta Tyrtaeus ab iis iure civitatis ornatus est, ne peregrino usi viderentur duce. Et Athenis peregrinus ob maxima solum beneficia, & non nisi sex mille suffragiis eo donabatur, & qui hoc iure frui volebat, in urbe sedem suam cum familia figeret, necesse erat. Hoc lege Solonis cautum fuerat (4), & Polemarchus in eos inquirebat, qui male ius civitatis sibi attribuerant (5). Sed huic legi nec Athenienses semper obtemperaverunt, nec ea inter omnes Graeciae populos eorumque colonias in usu fuit. Hoc non solum patet ex plurimarum urbium decretis, in quibus publicis hospitibus inter alia *γης και οικιας εγκτησις και προσοδος προς την βουλην και τον δημον* decernebantur, ut iam Pacciau-

(1) Pollux in *δωρα*: *τοις δε ξενοις και πολιτεια*.
(2) Plin. *H.N.* 35. *Polygnoto cum partem porticus quae Poecile vocatur gratuito pingeret, Amphictyones hospitia ei gratuita decrevere*.
(3) Ita in *decretis Agrigent. & Melitens.* s. c. in *Delio marm.*, & *Corcyrens. Nanianio*.
(4) Plutarch. in *vita Solonis* opp. tom.I. p.91. ed. Lutet. Paris.
(5) Pollux in *Onom.* lib.VIII. 950. 907. 878.

Paciaudius optime oſtendit (1), ſed ex Polluce quoque, qui voc. Δωρα expreſſe ait : τοις ξενοις και πολιταιν datam fuiſſe.

A privatis hoſpites quoque multis τιμιοις honoratos fuiſſe, res eſt nota, & nulla indiget demonſtratione. Iis autem intelligebantur omnia benevolentiae & amicitiae ſigna, quibus adventantes, remorantes, & diſcedentes hoſpites ornari ſolebant. Ad ea pertinebant oſculum & manuum apprehenſio, quae tale amicitiae ſignum erat, ut eam in teſſeris ipſis expreſſam habeamus; potior locus in menſa (2); ut ſpectatum duceretur hoſpes ad ea, quae in urbe ſpectatu eſſent digna; ut defenderetur ab inimicis & hoſtibus: ſiquidem hoſpitis domus aſylum erat, cuius ſanctitatem defendere ξενοδοχος religione erat obſtrictus (3); ut denique abiens donis dimitteretur. Haec in omnibus hoſpitiis exhiberi ſolebant, & inter τα αλλα παντα noſtri monumenti intelligenda ſunt.

ΔΑΜΙΟΡΓΟΣ ΠΑΡΑΓΟΡΑΣ

Δαμιοργος ex antiqua orthographia pro Δαμιεργος, vel Δημιουργος, de qua Proclus in Comment. in Platonis Cratylum inedito inter (Barberinos codd. Graecos n. 226.) ita:

(1) *Monum. Peloponnes.* tom. II. pag. 141. & ſeqq.

(2) Athenaeus IV. p. 143. ed. Caſaub. ex Deſiadis lib. IV. de Cretenſium σισσιτοις : κατα δε τον συσσιτικον οικον πρωτον μεν κειται δυο τραπεζαι ξενικαι καλουμεναι αις προκαθιζουσι των ξενων οι παροντες. Et ibid. ex Pyrgionis lib. III. de Cretenſium inſtitutis : οτι εν τοις συσσιτιοις ησαν ξενικοι θακοι και τραπεζα τριτη εν δεξια εισιοντων εις τα ανδρεια ην ξενιου τε Διος, ξενιαν τε προσηγορευον.

(3) Hinc v. g. Admetus Moloſſorum rex Themiſtoclem reſtituere Lacedaemoniis noluit, ne iram Διος ξενιου irritaret, veritus. Plutarch. in *vit. Themistocl.*

ita : *το ο μικρον ὀσημανεν ἀυτοις* (*τοις πὰλαιοις* ſc.) *ο δηλοι νυν και την ε διφθογγον . το γαρ βουλεται ελεγον βολετα , και τον ουρανον , ορανον ;* & ſimili modo Athenaeus (1) : *οι αρχαιοι τῳ ο απεχρωντο ου μονον εφ᾽ ης νυν ταττε ται δυναμεως , αλλα και οτε την διφθογγον διασημαινει δια του ο μονον γραφουσιν.* Demiurgi nomen noſtro monumento ſubſcriptum puto, non ut auctoritate ſua firmaretur , ſed ut epocha icti foederis indicaretur . Erant Demiurgi in variis Graeciae , Peloponneſi praecipue urbibus earumque coloniis in magna Graecia , populi ſummus magiſtratus . Sic Heſychius , *παρα τοις Δωριευσιν οι Δημιουργοι τα δημοσια πραττοντες , ωσπερ οι Δημαρχοι λεγονται Αθηνησιν .* Horum nomina epochae finiendae gratia monumentis inſcribebantur , ut Demarchorum in numis , decretis , aliiſque monumentis .

ΠΡΟΞΕΝΟΙ ΜΙΝΚΟΝ ΑΡΜΟΞΙΔΑΜΟΣ ΑΓΑΘΑΡΧΟΣ ΟΝΑΤΑΣ ΕΠΙΚΟΡΟΣ

Demiurgum ſequuntur nomina *των προξενων* , quos *conciliatores hoſpitii inter Saotem & Sicaeniam* fuiſſe coniicio . Nolo hic de varia *προξενου* vocabuli ſignificatione diſſerere , quod in hoſpitalitate publica vel hoſpitem publicum , vel hoſpitii publici curatorem denotat , cum id a Thomaſino (2) , aliiſque , qui hoſpitalitatis ritus explicavere , a Paciaudio (3) praecipue factum video . Quem in verſione expreſſi ſignificatum petii ex verbo *προξενειν* , quod *auctorem alicuius rei* vel *conciliatorem eſſe* , in variis auctorum locis ſignificat . Sic apud Lucianum *ταυτην σοι*

(1) Athen. lib. XI. pag. 466. edit. Caſaub.
(2) De *tesseris hospital.* loc. cit.
(3) In *monum. Peloponnes.* loc. cit.

σοι την ἐυδαιμονιαν προξενουμεν, *huius felicitatis tibi auctores ſumus*; & Plutarch. *de mercatura* ait (1): *προξενουσα φιλιαν βασιλεων*. Hinc *προξενος* quoque alicuius rei *auctor* vel *ſuaſor* dicitur, ut apud Euſtath. *προξενος καλου* & *προξενος κακου*, *qui aliquid vel boni vel mali procurat*. Ita quoque Scholiaſtes ineditus in Euripidis Phoeniſs. v. 356. (inter codd. biblioth. Angelicae Pl. C. 4.) nuptias Polynicis cum Adraſti filia *της επ' αυτη* (ſcil. *Θεβαις*) *βλαβης προξενοι* nominat. Hoc modo *προξενοι* in noſtro monumento eſſe puto *προξενοι της φιλιας* vel *ξενιας*, *amicitiae* vel *hoſpitalitatis conciliatores* vel *auctores*, qui ſignificatus decreto privato optime convenit. Ad illum enim qui publicis decretis in uſu eſt reſpicere, vetat antiquitatis inſtitutio, cum Proxeni publici nec privatis intereſſent hoſpitiis, nec eorum nomine decreta ſignarentur. Alterum, quo *προξενοι* ii dicuntur, *qui emtoribus & venditoribus operam dant* noſtro monumento velle applicare, quod cl. Villoiſon feciſſe videtur, eſſet contra decreti noſtri argumentum, quod donationis vel emtionis & venditionis documentum propter verba: *διδοτι ταν οικιαν και ταλλα παντα* eſſe nequit. Nimis ſiquidem ieiune in tali monumento diceretur: *Saotes dat Sicaeniae domum & reliqua omnia*, ſine ulteriori adiecta explicatione, quid ſub *τα αλλα παντα* intelligi deberet. In hoſpitalitatis autem monumento exinde nulla oriri poterat ambiguitas, cum aliis quoque huius generis decretis hanc formulam comunem, & in re hoſpitali ſolemnem fuiſſe, ſupra viderimus.

Reſtat itaque illa vocis *προξενος* ſignificatio, quae *conciliatorem* vel *auctorem* innuit, quam ego amplector,

B 6 & pu-

(6) In *vita Solonis*, opp. Plutarch. tom. I. pag. 79.

& puto : illos quos noſtra tabula nominat *Minconem*, *Armoxidamum*, *Agatharchum*, *Onatam*, & *Epicurum* amicos fuiſſe Saotis & Sicaeniae comunes, & auctores & conciliatores huius hoſpitalis foederis, qui ſua nomina in teſtimonium decreto noſtro ſubſcripſerunt.

Quod autem conciliatorum nomina decretis hoſpitalibus inſcribi conſueverint, ex Graecorum & Romanorum nec ſcriptoribus, nec lapidibus probare poſſum; ſed eorum ſilentium nil contra me facit. Pauca enim ad nos venerunt monumenta principum antiquitatis urbium, quae vitam ſpectent privatam & domeſticam, ex quibus certi quid hac in re concludi poſſit; & noſtrum monumentum eſt unicum, quod habemus ex Magnae Graeciae urbe incognita, cuius inſtitutiones & uſus cum urbe ipſa iacent ſepulti & deleti. Quamvis autem ex Atticis & Romanis inſtitutis deduci poſſet, hoſpitii conficiendis decretis nunquam conciliatorum nomina adhibita fuiſſe; exinde tamen non ſequeretur, hanc omnibus antiquis Graeciae & Italiae populis fuiſſe conſuetudinem; cum multum veriſimile ſit, unumquemque populum & urbem, in re praecipue privata & domeſtica, proprias ſuas habuiſſe leges & uſus, & in paucis ſolummodo publicis negotiis ſervaſſe ritus των μητροπολεων.

Reſtat nunc ut pauca de litterarum figuris prout in noſtro monumento apparent diſſeramus, earum ſiquidem inſolita & antiquiſſima forma eius pretium magnopere auget. Proſtant in ea enim litterae partim Graecae antiquiſſimae, partim quaedam ex iis, quae populis Italiae in uſu fuiſſe videntur ante introductum apud eos graecarum litterarum uſum. Hic ſcribendi modus, ex duobus diverſis alphabetis compoſitus, hactenus in nullo obſervatus eſt monumento ſi excipiatur numus Buxentinus a Win-

a Winckelman tom. I. p. 169. in artium historia descriptus, in cuius epigraphe vocabulum ΠVϮOEΜ πυξοις eodem modo quem in nostra lamina observamus expressum est. Habemus inscriptiones antiquissimas Graecas, Sigaeam, Amycleenses, Deliam; habemus Etruscorum & Volscorum monumenta; habemus denique numos magnae Graeciae cum epigraphis antiquissimis: ast in nullo haec duorum alphabetorum mixtio cernitur. Omnia constanter usum patriarum litterarum observant. Unde vero hoc mixtum alphabetum in solo nostro monumento? Forte Italo-Graeci quasdam litteras ex popularibus in Graecum adsumpsere alphabetum? Nil habeo quod statuam. Idipsum fateri cogor quoad aetatem ipsius monumenti. Ex antiquissima Graecarum litterarum forma, & ex ignorato in eo vocalium longarum usu hoc certum mihi videtur: id Olympiadis LXXXXIV. anno 4. antiquius esse, quo Athenienses omnium ultimi antiquo modo scribendi, in publicis saltem actis, vale dixerunt, & novas a Simonide Chio inventas litteras introduxerunt (1). Accuratius definire aetatem nostri monumenti minime audeo. Si enim ut omnibus eruditis sententia est, primus vocalium longarum Ω & H, & consonantium duplicum Ξ & Ψ auctor & inventor fuit Simonides, nostra lamina eius aevo iunior est, & in ea referenda videtur tempora, quando litterae novae quidem inventae fuerant, non autem omnes, nec ubique receptae, i. e. post Olymp. LXXVIII. & ante Olymp. XCIIII. Agnoscit enim ex iis litteram Ξ, non autem duplicem vocalem OΥ nec longas Ω & H, pro quibus semper O & I scriptum est, ut

(1) Vid. Montfauc. *Palaeogr.* 118.

ut Σαοτις pro Σαωτης, & Δαμιοργος, Μινκον, Ονατας, & Επικορος pro Δαμιουργος, Μιγκων, Ωνατας, & Επικυρος. Si autem duplices consonantes iam in antiquis Italicis alphabetis invenisset Simonides, & eas solummodo Graeco addidisset alphabeto; tunc nostra lamina eius aetate antiquior esse posset, & in finienda aetate monumentorum Italo-Graecorum, ad quae nostra lamina quoque pertinet, non valeret canon, qui in diiudicanda aetate monumentorum Graecorum princeps est: quod omnia nempe monumenta, in quibus litterae Simonideae inveniuntur, recentiora sint Olymp. LXXVIII., quandoquidem inter varios Italo-Graecos populos earum usus ex populari alphabeto iam ante fuisse potuisset, quam Simonides eas antiquo alphabeto Graeco adiunxisset. Harum sane litterarum frequens est usus in Italicis monumentis antiquissimis. Sic figuram ↓ licet significatu *του* Ψ habemus in Etrusco monumento musei Borgiani, quod infra dabo; *το* ✝ in numo Buxentino, & ipsum digamma aeolicum frequens est in Etruscis & Italicis monumentis, ut in illo plumbeo monumento Borgiano, & in numi Nuceriae Alfaternae epigraphe ИVИIОꓘꟻVИ *Nubkrinum* (1). Sed nolo merae coniecturae diutius insistere, quae absque monumentis certam epocham sistentibus, minime nec probari, nec refelli potest.

Ad formam litterarum Graecarum nostri monumenti quod attinet, eam in illo conspicimus, quam Peloponnensem & Pelasgam nominamus, & qua Dores eorumque coloniae in Sicilia & Magna Graecia utebantur; paucis litteris exceptis, quae ex antiquo Italico alphabeto adsum-

(1) Vid. cl. Eckhel. *num. anecdot.* tab. II. 9.

adſumptae videntur, & nunc primum in noſtro monumento proſtant, vel in paucis Etruſcorum gemmis & inſcriptionibus inveniuntur. Reliquae omnes litterae habent formam Peloponneſiacam antiquam. Quod ut clarius pateat, ſingulas noſtri monumenti litteras cum iis conferamus, quas in antiquiſſimis & indubitatis marmoribus & numis conſpicimus.

A

Sic huius litterae formam habemus in numis Magnae Graeciae antiquiſſimis, in marmore Nointeliano ap. Montfauconium (1), & in Decreto Athenienſium Olymp. LXXXXIII. ann. 3. ſub Archonte Diocle facto a cl. R. Chandler publicato (2).

I

Haec τὸυ Γ forma plane novo modo in noſtro monumento expreſſa eſt, quam ex populari antiquo Italico alphabeto a variis Magnae Graeciae urbibus in Graecum adſumptam puto.

D

Haec τȣ Δ forma Latinorum D ſimilis rariſſima eſt, & proſtat in antiquiſſimo Meſano numo muſei Bononienſis

(1) In *Palaeogr. Graeca* pag. 135.
(2) *Inscriptiones antiquae pleraeque ineditae in Asia minori, & Graecia praesertim Athenis collectae exscripsit ediditque Rich. Chandler.*, Oxon. 1774. tom. II. pag. 37.

ſis in voce DANKLE (1) , & in Paeſtano argenteo muſei Borgiani in ΩΙΞΜCΠ. In noſtro monumento arcus litterae interruptus hoc modo ⟩ exhibetur , quod ne inciſoris errore factum putari poſſit, frequens repetitio eiuſdem formae facit. Haec forma quoque Siculis & Magnae Graecie urbibus propria fuiſſe videtur, cum inter Graeciae monumentis nullum cognitum eſt, quod exhiberet ſimilem. In Peloponneſi monumentis exſtat το Δ ita ▷ expreſſum , ut in columna Naniana , quod etiam in Italicis & Siculis numis frequentiſſimum eſt (2), ex quo illud D noſtri monumenti natum videtur.

E

Ut in antiquiſſimis monumentis, Nointeliano apud Montfauc., & Attico apud Chandler ſupra citatis.

F

Haec littera digamma aeolicum dicta, voci οικιαν praepoſita eſt , in qua του ΟΥ, vel Latinorum V ſonum habuiſſe , ex Dionyſio Halicarnaſ. patet. Huius digammatis uſum inter Italos frequentiſſimum probant numi Campaniae, & tabulae Heracleenſes, in quibus prima eius & antiquior forma ϲ ſaepius, noſtra autem F ex illa orta rarius apparet. Erat autem huius litterae uſus vel adſpirandi voces quibus praepoſita erat , vel

(1) Vid. Princ. Turriſmutii : *Numi Siciliae &c.* tab. XLV. n.9. , adde Montfauc. *Palaeogr.* pag.127.

(2) Inter numos Siculos tab. XLV. 10. 11., & in opere Ant. Paoli intitul. *Paesti , quod Posidonium etiam dixere rudera* tab. LVIII. 23.

vel locum tenebat *του* V Latinorum, ut docte demonstrat Mazochius (1). Primus occurrit in Tabula Heracleen. in vocabulis EΞ, ubi ϛEΞ, & ϛικατι expressum legitur; & in voce *αυτου*, in lapidis, qui Colossum olim Apollinis in Delo insula sustentaverat celeberrima inscriptione: *ο αϜυτο λιθο ειμι ανδριας και το σϑελας* (2). Secundum huius litterae usum arguit Dionysius Halicarn. (3), qui de urbis Veliae nominis etymologia ita: *ην τα πολλα ελωδη α νυν κατα τον αρχαιον της διαλεκτου τροπον Ουελια ονομαζεται· συνηθες γαρ ην τοις Ελλεσιν, ως τα πολλα προστιθεναι των ονοματων, οποσων αι αρχαι απο φωνεντων εγενοντο την ȣ συλλαβην ενι στοιχειω γραφομενην· τουτο δ' ην ωσπερ γαμμα διττας, εις μιαν ορθην επιζευγνυμενον ταις πλαγιαις, ως Ϝελενη, και Ϝαναξ, και Ϝοικος, και πολλα τοιαυτα.* Imperatorem Claudium hoc digamma inverso modo scriptum in latinum alphabetum assumere voluisse, notum est ex Svetonio; & exstat in museo Borgiano (4) inscriptio Isidi & Serapi dicata, huius imperatoris tempore facta, in qua digamma hoc modo Ⅎ depictum est:

TI. CLAVDIO . CAESARE
AVG. GERMANICO . V̄
SER. CORNE'LIO . ORFITO . COS
ISIDI . INVICTAI . ET . SERA'PI
MAI'DIVS . SERⅎILIAI . AⅎIOI . . . .
LIB. AMERIMNVS
EX . ⅎISV

Ita

(1) In *tab. Heracleens. explicatione* pag.138.
(2) Thurneforti *Itinerar.* epist.22., Montfauc. *Palaeogr. Gr.* p.122.
(3) Lib. I. 20.
(4) Hanc inscriptionem post Grut. in *Thes.* MLXV. 11., & Fabrettium in *Inscript.* pag.472. illustravit cl. mihique amicissimus G. Zoëga, *Numis Aegypt. imperat. musei Borgiani* pag.205.

Θ

Ita quoque in Athenienſium antiquiſſimis decretis apud Montfauc., & Chandler loc. cit., & in numis Siculis apud Princ. Turriſmutii.

ς

Hanc τοῦ I antiquiſſimam formam Peloponnenſibus eorumque coloniis propriam, cernere eſt in columna Naniana, & in antiquiſſimis Paeſtanis numis argenteis muſei Borgiani in ƨ϶ΜΟΠ. Attica monumenta eam non agnoſcunt.

K

In Atticis monumentis ap. Montfauc. & Chandler lib. cit. in lapide Sigaeo (1), columna Naniana, & numis Magnae Graeciae ſimilis forma conſpicitur.

Ͱ

Hanc antiquiſſimam formam τοῦ Λ ignorant omnia monumenta, praeter lapidem Delium ap. Montfauc. lib. c. in ͰΙΘΟ, & ΣΘΕͰΑΣ, & inſcriptionem monumenti muſei Naniani ΠΟͰΥΚΡΑΤΕΜ ΑΝΕΘΕΚΕ (2).

Ut

(1) Inſcriptio Sigaea antiquiſſima βυςροφηδον exarata a Edm. Chishul publicata inter *Inscript. Asiaticas*, & a Murator. in *Nov. Thes. Inscript.* tom. III. pag. 2303., & a Chandler lib. cit. tom. I. p. 2.

(2) Vid. Paciaudi *Monumenta Peloponnes.* tom. II., & Winckelman in *historia artium* tom. I. p. 10. ed. c. Fea.

M

Ut in nostro monumento littera M prostat in lapide Sigaeo, ap. Chishul. & Chandler, in numo Metaponti argenteo antiquissimo musei Borgiani (1), in columna Naniana, & Pisaurensi Oliveriana.

N

Sic in lapide Sigaeo, columna Naniana, Teiorum diris, apud Chishul. (2).

+

In variis antiquissimis monumentis hoc signum του X habet significationem, ut in lapide Sigaeo; in nostro autem duplicis consonantis Ξ. Etiam haec forma ex antiquo Italo alphabeto desumpta videtur, quam primum invenit celeberrimus Iohan. Winckelman. in antiquissimi Buxentorum argentei numi epigraphe MOΝΙϘΙΜ ΠΥ+ΟΕΜ, i. e. Συριvος Πυξοες, quem in artium historia descripsit (3). In lapidibus, & numis Naxiorum frequens est haec litterae Ξ figura Ξ, quae ex illa nostri monumenti originem duxisse videtur.

O

Ut in omnibus Magnae Graeciae, & Siciliae inscriptionibus & numis, scribitur vero charactere minore reliquis litteris. Ex

(1) Similem nummum v. ap. Eckhel. in nummis anecdotis tab. III. n. 15.
(2) Inter Inscr. Asiat.
(3) Lib. III. c. 2. tom. I. p. 264. edit. e. Fea.

P

Ex comuni ufu monumentorum Siculorum, & Magnae Graeciae praecipue.

M

Etiam hanc τοῦ Σ formam Peloponnefo & Magnae Graeciae propriam fuiffe teftantur monumenta. Invenitur enim in antiquiffimo Sybaritano argenteo numo mufei Borgiani in VM, in Paeftanis argenteis, in Buxentino a Winckelman edito, in columna Naniana, & infcriptione fupra citata monumenti Peloponnefiaci eiufdem mufei a Paciaudio & Winckelm. publicati in ΠΟΛΤΚΡΑΤΕΜ (1).

T

Ut in omnibus antiquitatis monumentis.

V

Haec τοῦ Τ forma apparet in lapide Sigaeo, & Atticis monumentis apud Chishul & Chandler loc. cit.; in columna Naniana, in antiquiffimis Syracufanis, & Selinuntinis numis, quos videre eft in Pr. Turrifmutii opere (2), & in Sybaritano argenteo numo mufei Borgiani fupra cit. in VM.

Hoc

(1) In lib. fupra citatis:
(2) Pr. Turrifmutii: *Siciliae & obiacentium insularum numi* tab. XXV. LXV. 14. LXXV. 2., vid. quoque Gualther. *Infcriptiones Catanenses* in Thefaur. Hiftor. Infcr. Ital. Havercampii, tom. II. p. 221.

↓

Hoc ſignum in aliis monumentis, ut in argenteo Selinuntorum numo in voce ΗΤΨΑΣ, & in Etruſco plumbeo monumento muſei Borgiani ΙƎ↓⅃Ǝꟻ . ƎꟻΑΤ8V . ΟΜΟΑ habet poteſtatem του Ψ ; in noſtro autem του Χ. Hanc formam Scipio Maffeius primum invenit in Achillis nomine Ǝ⅃Ǝ↓Ρ Etruſcae gemmae inciſo (1); & poſtea cel. Winckelmann, in patera etruſca, quae Mercurium fata Achillis & Hectoris in ſtatera Iovis penſitantem repraeſentat, etiam in nomine Achillis Ǝ⅃↓Α eam vidit (2). In Græcorum autem monumentis fruſtra hæc forma quaeritur.

(1) Vid. *Osservazioni letterarie* tom. v.
(2) Monument. inedd. N. 174.

F I N I S.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franc. Xav. Paſſari Archiep. Lariſs. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.